Drei und zwanzigster Jahresbericht

über das

Königl. Gymnasium zu Coesfeld

(Schuljahr 1850 — 1851)

mit welchem zu der

öffentlichen Prüfung der Schüler

am 29. August

und zu der

am Vormittage des 30. August Statt findenden

feierlichen Entlassung der Abiturienten

ehrerbietigst einladet

der Director des Gymnasiums

Prof. Dr. **ANT. AL. SCHLÜTER.**

Inhalt: 1. Abhandlung des Oberlehrers Dr. Marx: *Ossa temporibus Homericis esse diis oblata.*
2. Schulnachrichten vom Director.

COESFELD 1851.

Druck von B. Wittneven, Vater.

Ossa temporibus Homericis esse diis oblata.

Constat inter omnes, magnam et fuisse et esse eruditissimorum dissensionem hominum, disceptantium, utrum victimarum femora una cum carne, an ossa tantum in sacrificiis, quae apud Homerum descripta legimus, oblata sint. Ut nimis sit mihi arduum, arbitri partes hac in re suscipere, tamen ad quaestionem solvendam pro virili parte conferre studui. Disputationem autem meam ita dispertiam, ut primum de forma vocum *μηρούς, μηρία*, quibus poeta sacrificiorum imagines effingens uti solet, tum de earum vera atque propria significatione agam, denique breviter exponam, quae de illis sacrificiis existimatio proxime ad verum accedere videatur.

Primum illud excutiendum est, quid sit *μηρία*. Verbo, quod ab altero derivatum est, eadem vis subiici debet, quae est principalis vocis, additis certis finibus terminisque, quibus arctius circumscriptum est. Notum et apud omnes est pervulgatum. Tamen horum vocabulorum quaedam recenseamus et, quibus syllabis notae in iis appositae sint, consideremus.

1. *Οἶκος, οἰκίον. Οἶκος* verbi haec vis est, ut notione universa et communi sedem et domicilium significet, id quod luce clarius colligi potest ex versibus Il. 6, 490. sqq., quibus Hector coniugem in publico commorantem admonet:

Ἀλλ᾽ εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σαυτῆς ἔργα κόμιζε,
Ἱστόν τ᾽, ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
Ἔργον ἐποίχεσθαι.

Cfr. Od. 2, 136. 19, 572., coll. v. 579., ubi ille *οἶκος* vocatur *δῶμα*: et Od. 21, 188., ubi legimus:

Τὼ δ᾽ ἐξ οἴκου βῆσαν,

qui *οἶκος* l. c. v. 190. *δόμος* dicitur:

Ἐκ δ᾽ αὐτὸς μετὰ τοὺς δόμου ἤλυθε δῖος Ὀδυσσεύς.

Plures etiam loci afferri possunt, quorum maximi momenti esse puto versum, quem legimus Od. 19, 514., hunc:

Ἐς τ᾽ ἐμὰ ἔργ᾽ ὁρόωσα καὶ ἀμφιπόλων ἐνὶ οἴκῳ.,

quo loco Penelope affirmat, se sua ipsius et famularum opera custodire et observare, ubicunque sint per totam domum perficienda. Inde lux affertur versui 598. ibid.:

σὺ δὲ λέξεο τῷδ' ἐνὶ οἴκῳ,

quem versum Dammius in Lex. Hom. perperam interpretatus est contendens, οἶκος vocem angustius hoc loco valere, eique notionem eius conclavis sive cubiculi subiiciendam esse, in quo Penelope cum Ulixe ad focum sedebat. Id enim erat triclinium, quod poeta vv. 47. et 51. μέγαρον appellat, uti v. 87. eiusd. habitationes famularum μέγαρα vocantur:

τὸν δ' οὔτις ἐνὶ μεγάροισι γυναικῶν
Λήθει ἀτασθάλλουσ'(α.)

Quam vim voci οἶκος subiiciendam esse postquam demonstravimus, accuratius consideremus locum Il. 24, 471.:

γέρων (Πρίαμος) δ' ἰθὺς κίεν οἴκου,

cui conferimus v. 572.:

Πηλείδης δ' οἴκοιο . . . . . ἆλτο θύραζε.

Utroque loco tentorium Achillis οἶκος vocem intelligere apertum est. Quod si eius descriptionem, quae est apud Homerum, accurate perpendas, videas, quale et quam spatiosum fuerit. Versu enim 471. sqq. poeta prodit, Priamum regem per illud tentorium permeasse et in eam partem venisse, ubi Achillem cum Automedonte et Alcimo, carissimis duobus sociis, reperisset: ceteros eius socios seorsum i. e. in alio conclavi commoratos esse. Divisum enim erat in varia ad varios usus destinata membra, id quod summatim exponitur versu 512.:

τῶν δὲ στοναχὴ κατὰ δώματ' ὀρώρει.:

praeterea etiam per singulas species, ex quibus poeta de diaetis famularum v. 582. mentionem facit, neque v. 643. omittit, Achillem socios servasque iussisse Priamo eiusque comiti lectos cubiculares sternere ὑπ' αἰθούσῃ, quod erat domus vestibulum, ibique Troianos illos duo decubuisse, quum Achilles ipse in recessu tentorii, μυχῷ κλισίης v. 675., dormiret. Neque deerat in hoc tabernaculo culina, in qua caro frigebatur: non enim dubito contendere, in eo assatam esse ovem, cuius mentio fit v. 621. sqq. In universum igitur dicendum erit, Achillis tentorium eius modi fuisse, ut domos et regum palatia in Homeri carminibus descripta invenimus.

Quid autem dicam de Polyphemi cyclopis antro, quod idem Od. 9, 478. οἶκος dicitur? Num recte a vate eo nomine appellari potuit? Nemo infitias eat, rem sic se habuisse, qui perpenderit, id antrum complura stabula complexum esse, ne-

que locum defuisse, in quo lac reconderetur, caseique seponerentur. Generatim eius modi domus fuit, qualis cyclopem decet, quum varia ad varios usus destinata membra in ea fuerint, quamvis nulla conclavia, qualia hominis sedem decent.

Verum ut omittamus, Homerum saepius quoque verbo *οἶκος* numero plurali uti, velut Od. 24, 417., hactenus demonstravisse mihi videor, voci huic in poetae nostri carminibus generalem vim subiiciendam esse. Qua re absoluta, nunc de voce *οἰκίον* dicendum est, qua in re brevitatem sequi possum. Neminem enim negaturum putem, eam vocem esse deminutivam, eaque significari parvam domum, parvum domicilium. Multi versus manifesto sunt testimonio: veluti Il. 16, 259. sqq. legimus, Myrmidones vesparum instar e navibus prorupisse:

σφήκεσσιν ἐοικότες ἐξεχέοντο
Εἰνοδίοις, οὓς παῖδες ἐριδμαίνουσιν . . .
. . . . . ὁδῷ ἔπι οἰκί' ἔχοντας.

et Il. 12, 167. sqq. fere similiter:

Οἱ δ', ὥστε σφῆκες . . . . ἠὲ μέλισσαι
Οἰκία ποιήσωνται ὁδῷ ἔπι παιπαλοέσσῃ,
Οὐδ' ἀπολείπουσιν κοῖλον δόμον.

Est autem genus domiciliorum, quod vespae apesve sibi exstruunt, notissimum, unde ex locis, quibus poeta harum bestiolarum habitacula commemorat, patere putem, et voci *οἰκίον* deminutionis notionem subiectam esse, et *δόμος* idem significare, quod fere *οἶκος*, quapropter pluribus locis ad eam rem probandam afferendis supersederi potest.

2. *Πέδον*, terra: *πεδίον*, ager, campus. *Πέδον*, quae vox verbis *πούς*, *ποδὸς* finitima est, solum significat, quod est sub nostris pedibus, idque colligi potest ex loco Il. 13, 795. sqq., quo loco Troianorum agmen describitur:

Οἱ δ' ἴσαν, ἀργαλέων ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλῃ,
Ἥ ῥά θ' ὑπὸ βροντῆς πατρὸς Διὸς εἶσι πέδονδε,
Θεσπεσίῳ δ' ὁμάδῳ ἁλὶ μίσγεται.

Procella coelitus in terram irruit miscetur que mari, ut fluctus ingentes adsurgant: ex quo *πέδον* vocem de terrae superficie interpretandam esse colligitur. Idque ipsum haud secus est Od. 11, 598.:

. . . . ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.

Deminutiva autem vox *πεδίον* significat terrae partem, ut agrum, campum, eius generis alia, neque est, cur id exemplis probem, quum etiam tironibus, qui haec studia attigerunt, notissima res sit, eaque vox saepissime in Homeri carminibus inveniatur.

3. *Τὸ τεῖχος*, moenia: *τὸ τειχίον*, paries. Alteri vocabulo generalis notio subiicienda est, alterum angustius valet. *Τεῖχος* verbo utitur poeta, quum urbium castrorumve munitorum mentionem facit, deminutivam vocem *τειχίον* legimus Od. 16, 165., ubi de Ulixe sermo est:

Ἐκ δ' ἦλθεν μεγάροιο παρὲκ μέγα τειχίον αὐλῆς.

Significatur murus, quo cincta erat cohors, in qua alebantur pecora. Idem fere est v. 343. ibid., isque murus v. 341. appellatur *ἕρκεα*, septa.

4. Addimus vocem *σῖτος*, triticum. Qui eius pondus diligenter examinaverit, videbit, huic voci duplicem subiectam esse significationem, alteram generalem, qua frumentum accipitur, veluti de Ithaca insula agitur Od. 13, 244. sq.:

Ἐν μὲν γάρ οἱ σῖτος ἀθέσφατος, ἐν δέ τε οἶνος
Γίγνεται.

et Od. 17, 532. sq.:

. . . . . *κτήματ' ἀκήρατα κεῖτ' ἐνὶ οἴκῳ,*
Σῖτος καὶ μέθυ ἡδύ.,

alteram a communitate disiunctam, qua intelligit panem coctum, id quod exemplis probare non est opus. Vocem deminutivam *τὸ σιτίον* in Homeri carminibus quidem non reperimus, verum legimus eam apud scriptores aetate inferiores, neque valet aliud quidquam, nisi cibum triticeum, panem, similia, ex quo perspici potest, *τὸ σιτίον* esse vocem deminutivam.

5. Pari modo voci *τὸ θηρίον* vis subiecta est speciei ferarum, quaecunque est. Significatur ea cervus, ut exemplo utar, in venatione necatus Od. 10, 171.180.:

. . . . . *μάλα γὰρ μέγα θηρίον ἦεν.*

Ὁ θὴρ e contrario est genus, fera, id quod perspicuum est ex loco Il. 10, 184. sq.:

Θηρὸς ἀκούσαντες κρατερόφρονος, ὅς τε καθ' ὕλην
Ἔρχηται δι' ὄρεσφι.

et Il. 11, 119., quo loco cervam fugere legimus

. . . . . *κραταιοῦ θηρὸς ὑφ' ὁρμῆς.*

Illo versu Il. 10, 184. nemo ad versum 113. respiciens iure contendat, vocem *θὴρ* intelligere leonem singulum, cuius impetum cerva narretur fugere. Sane est leo, quem fugit, verum vocatur idem *θὴρ*, quod ferarum genus est *κραταιόν*. Haud aliter res se habet Il. 3, 449.:

Ἀτρείδης . . . . . *ἐφοίτα, θηρὶ ἐοικώς.*

et Il. 11, 546.:

Τρέσσε δὲ παπτήνας ἐφ' ὅμιλον, θηρὶ ἐοικώς.

quem versum continuo sequitur comparatio Aiacis cum leone. Ea ipsa ex re luce clarius est, poetam primum Aiacem generatim ferae, quaecunque est, similem vocasse, tum autem ea specie ferarum, quae sit quidem validissima, verum, quum res ita ferat, tamen a spe destituta tristis abeat, herois imaginem describere voluisse. Eandem voci *θὴρ* vim et notionem subiiciendam censeo Il. 15, 586.:

.... *θηρὶ κακὸν ῥέξαντι ἐοικώς,*

et Il. 15, 633.: *θηρὶ μαχέσσασθαι*, quamquam hoc loco sermo est de leonis impetu in gregem facto, eiusque comparationis verbis admixta est *θὴρ* vox. Nulla enim caussa est, cur propterea eius notionem generalem admittendam esse negemus. Immo rem non satis accurate et exquisite tractasse mihi videntur ii interpretes, qui hisce ex verbis effici dicunt, ut saepius apud Homerum vox *θὴρ* leonem significet, haud secus ac notio eius a communitate disiungenda angustius valeret.

Hic forsitan dicat quispiam: At videamus eos locos, quibus poeta verbum *θὴρ* pluraliter appellat! Nonne manifestum erit, *θῆρες* idem fere valere, quod tu *θηρία* vis? Haud puto, id effici posse: evolvamus enim Homeri carmina. Legimus Il. 8, 47., Idam montem fuisse *μητέρα θηρῶν*, quod repetitum reperimus Il. 14, 283. et Il. 15, 151. Appellatur Il. 21, 470. Diana *πότνια θηρῶν*: etiam legimus Od. 5, 473.:

Δείδω, μὴ θήρεσσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γένωμαι,

praeterea Od. 24, 290. sqq.: .... *ἢ ἐπὶ χέρσου Θηρσὶ καὶ οἰωνοῖσιν ἕλωρ γενετ'(ο.)*, Il. 21, 485.: *κατ' οὔρεα θῆρας ἐναίρειν*, Od. 11, 573. sqq., quo loco Ulixes narrans inducitur, se in Orco vidisse Orionem

Θῆρας ὁμοῦ εἰλεῦντα κατ' ἀσφοδελὸν λειμῶνα,
Τοὺς αὐτὸς κατέπεφνεν ἐν οἰοπόλοισιν ὄρεσσιν.

Num apertum esse neges, omnibus his locis vocem *θῆρες* valere generatim cuiusque ordinis feras, neque ullo modo cogitari posse de peculiari quadam ferarum specie? Quemcunque voles poetae nostri locum respicias, nullibi aliam nisi generalem notionem et vim sub vocibus *θὴρ* et *θῆρες* subiiciendam esse invenies.

His, quae recensui, vocabulis addi possunt *παῖς*, *παιδίον*, *ἀνὴρ*, *ἀνδρίον*, alia. Verum eo redeo, unde profectus sum, quaerens, quid valeat *μηρία* vox. Id mihi iam non posse videtur in dubitationem vocari, nomen *τὰ μηρία* esse deminutivum, id quod iam videmus censuisse grammaticum quendam Etym. M., qui sub voce *Μηρία* scripsit: *τὸ ὑποκοριστικὸν μηρίον*, i. e. deminutivum est *μηρίον* nomen. Ex analogia igitur colligi potest, quandam vocem *μῆρος* esse, quae nusquam ita scripta invenitur, videlicet ut sit primae syllabae nota apposita *περισπωμένως*. Verum ea

re non retardamur. Pace veterum grammaticorum dixerim, eos non semel errasse, id quod in accentus nota hac ponenda iis etiam usu venit. Iam scholiastes Venetus A. bene rem perspexit: scripsit enim ad Il. 1, 464.: *ἀπεφηνάμην δὲ ἐντελέστερον τὸ μηρίον τοῦ μήρου ὄν· ἐκ γὰρ συγκοπῆς αὐτοῦ ἐγεγόνει, ἐπείτοι εὐθύνεται ὁ τόνος. Τὰ γὰρ εἰς ος λήγοντα μεταπλασσόμενα εἰς οὐδέτερον γένος τὸ εἰς ον λῆγον τὸν αὐτὸν τόνον φυλάσσει· ὁ ζυγός, τὸ ζυγόν, τὰ ζυγά, δίφρος, δίφρον, δίφρα. ὅθεν εἰ καὶ μηρός, καὶ μηρόν καὶ μηρά, εἰ δὲ μῆρα, καὶ μήρους.* Neque alia fuit de nota voci *μηρους* apponenda eius sententia, qui in Etym. Gudiano s. v. *Μῆρα* scripsit: *μήρους ἐξέταμον*, nullam caussam addens, cur *μήρους*, non *μηροὺς* vellet, quum grammatici argumentationis caussa exempla subiungere soleant. Unde in aperto est, illum ipsum non fuisse incertum, quid faceret, neque exemplo rem firmandam putasse. Ita fit, ut scribendum sit *μῆρος, μήρους*, non *μηροί*, et *τὸ μηρίον, τὰ μηρία* esse nomen deminutivum intelligatur.

Iam exsistit quaestio subdifficilis, quae sit vis subiecta voci *μῆρος* et deminutivo nomini *μηρίον*.

Alienum esset a re proposita, omnes locos ex Homeri carminibus citare, quibus *μηρὸς* vox numero singulari vel plurali vel duali invenitur, quum, qui eos inspicere velit, in Dammii Lex. Hom. aliisque glossariis collectos reperiat. Unum alterumve tantum ratiocinationis caussa profero. Legimus Il. 5, 660. sqq.:

Τληπόλεμος δ᾽ ἄρα μηρὸν ἀριστερὸν ἔγχεϊ μακρῷ
Βεβλήκει· αἰχμὴ δὲ διέσσυτο μαιμώωσα,
Ὀστέῳ ἐγχριμφθεῖσα.

Manifestum est, hoc loco voce *μηρὸν* significari femur, quale in corpore humano adspectu sentitur, eiusque partem interiorem *ὀστέον* appellari. Idem efficitur, quum legimus Il. 11, 583. sqq.:

καί μιν βάλε μηρὸν ὀϊστῷ
Δεξιόν· ἐκλάσθη δὲ δόναξ, ἐβάρυνε δὲ μηρόν.

Femoris enim carne perfossa, in ossis, quod in eo haeret, superficie arundo perfringitur. Ea interpretatio fulcitur his locis. De Menelao a Pandaro sagitta vulnerato legimus Il. 4, 146.: *μιάνθην αἵματι μηροί.* Ulixes cum Iro pugnaturus accingit se Od. 18, 66., *φαῖνε δὲ μηροὺς Καλούς τε μεγάλους τε*: de eodemque Ulixe Laodamas, Alcinoi filius, dicit: *φυήν γε μὲν οὐ κακός ἐστιν Μηρούς τε κνήμας τε* cet. Praeterea alii quidam loci huc referendi sunt, qui paullo infra citabuntur, ubi de *ἐκτέμνειν* voce dicendum erit, quare eos brevitati studentes hoc loco omittimus. Praeterea invenitur in carminibus Homericis unus versus, quo *μηρὸς* vocabulo alia notio subiicienda est, Il. 5, 305. sqq., de quo eodem paullo post. In iis autem, quos

notavimus, locis ceterisque omnibus *μηρὸς* et *μηροὶ* nonnisi humani corporis partem significant: sunt tamen tres, quibus verbum hoc doctiuscule positum est de animalibus: verum in his agitur de solis sacris faciundis, quam ob rem seorsum de peculiari hoc vocis usu dicendum erit.

Quum igitur demonstratum sit, *μηροὺς* significare femora corporis humani, *τὸ μηρίον* autem esse vocem deminutivam docuerimus, sequitur, ut *τὸ μηρίον* sit femur tenue, sit os illud, quod in interiore femore per totam eius longitudinem procurrit. Invenitur autem apud Homerum numero tantum plurali.

Hanc eius vocabuli significationem, quam ex etymo et origine vocis eruere conatus sum, solam veteres grammatici omnes comprobant, neque usquam alia apud eos et diversa inveniri potest explicatio. Omnia commentaria ab iis composita recensere et longum est et piget, quum praesertim harum rerum studiosi facillime ea evolvere possint. Quare argumento sit tantum Apollonius, qui in lexico suo Homerico s. v. *Μηρία* scripsit: *Οὐχ ὡς ἡμεῖς, ἀλλὰ τὰ ἐκ τῶν μηρῶν ἐξαιρούμενα καὶ ἱεροθυμούμενα*, quibus verbis Hesychius addidit *ὀστᾶ.*

Quum autem vocabulum illud de sacris faciundis utendum solenne esset, ut saepius his in rebus usu venit, ex sacrificantium animis facillime potuit elabi, esse *μηρία* vocem deminutivam, eaque sola ratione scio, quid sibi velit Buttmannus, qui in Gram. graec. mai. II, 2. §. 119. not. 31. ait, *μηρίον* non prae se ferre formam deminutivam.

Eandem, quam voci *μηρίον* locis, quos citavi, Homericis subiectam esse demonstravimus, significationem tribuendam etiam esse voci *μηρὸς*, coniectare licet. Exstat unus tantum locus apud Homerum, qui locus diligenter excutiendus videtur. Narrat enim poeta Il. 5, 305. sqq.:

Τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον, ἔνθα τε μηρὸς
Ἰσχίῳ ἐνστρέφεται· κοτύλην δέ τέ μιν καλέουσιν·
Θλάσσε δέ οἱ κοτύλην, πρὸς δ' ἄμφω ῥῆξε τένοντε·
Ὦσε δ' ἀπὸ ῥινὸν τρηχὺς λίθος.

Sermo est de Diomede, qui contra Aeneam pugnans maximi ponderis saxum in eum coniicit. Qui versus quum ad rem, de qua disputamus, plurimum valeant, eorum interpretationem, ut in editione carminum Homericorum Ernestiana exstat, addere liceat.

Eo percussit Aeneae coxendicem, ubi scilicet femur
In coxa vertitur: acetabulum ipsum vocant:
Confregit autem ipsi acetabulum, et insuper ambos disrupit nervos:
Detraxitque cutem asper lapis.

Quae potest esse descriptio clarior, quae aptior, ut de eius argumento nihil habeat

quisquam dubitationis? Qui corporis humani ordinationem et dispositionem ignorat, adspiciat nudis ossibus cohaerentem figuram, quam medici sceletum vocant. In cavo quodam pelvis, quae vocatur, in coxa vertitur eius ossis caput, quod os est in femore. Coxam vocat Homerus ἰσχίον et, quae re et nomine est, κοτύλην, os autem femoris μηρόν. Huius vero ossis caput, quod dicitur, magnum ligamento rotundo, quod vulgo vocant teres, licet revera planum sit, acetabulo iunctum est, eius autem collum una cum capite robusto ligamento annulari, quod ab ambitu acetabuli oritur, tamquam capsula cingitur. En ἄμφω τένοντε! Ut denique vel levissima de ea, quam explicavi, vocis μηρὸς significatione et vi tollatur dubitatio, lectorem delego ad verba ὦσεν ἀπὸ ῥινὸν τρηχὺς λίθος, quibus caro, qua os femoris circumdatum est, ossi ipsi aperte opponitur.

Quare quum nullam dubitationem habeat, voce illa μηρὸς poetam nostrum femoris os notare, quis est, qui neget, etiam eius verbi numero plurali idem significari? Is autem invenitur tribus tantum locis, qui sunt Il. 1, 460., 2, 423., Od. 12, 360., quibus sacra perpatrata describuntur. Antequam autem lector eos inspiciat, evolvat poetae verba Od. 3, 456., quae sunt: ἄφαρ δ᾽ ἐκ μηρία τάμνον, et observet, eadem μηρία a poeta versu 461. μῆρα vocari, quum addat: Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ᾽ ἐκάη. Μῆρα igitur sunt, quae μηρία. Verum μῆρα etiam sunt, qui μηροί. Scripsit enim poeta tribus, quos modo citavi, locis: Μηρούς τ᾽ ἐξέταμον, et addidit eorundem librorum versibus 464., 427., 364.: Αὐτὰρ ἐπεὶ κατὰ μῆρ᾽ ἐκάη. Maior etiam similitudo, immo aequalitas horum locorum apparet: in ultima enim harum descriptionum narrat poeta: ἄφαρ δ᾽ ἐκ μηρία τάμνον . . . . κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν, in reliquis autem tribus: Μηρούς τ᾽ ἐξέταμον, κατά τε κνίσσῃ ἐκάλυψαν.

Herodotum quoque femorum ossa μηροὺς voce denotasse dicentem lib. III., cap. 103.: κάμηλος ἐν τοῖσι ὀπισθίοισι σκέλεσι ἔχει τέσσαρας μηροὺς καὶ γούνατα τέσσαρα, argumenti loco eorum, quae docuisse mihi videor, non sumam, quippe qui sciam, Homericas voces, quoad fieri possit, ex ipsius poetae carminibus esse enucleandas. Significatio enim et usus multorum vocabulorum procedente tempore mutata sunt, neque desint, qui mihi Herodoti verba in argumentum earum rerum, quas docui, huc afferenti suo iure verba Bionis opponant, qui Id. I, 84. narrat, Adonidi vulnerato complures mederi studuisse, quorum unus narratur: ὁ δὲ μηρία λούει. Qua voce μηρία Bionem easdem plane corporis partes, quas Homerus μηροὺς appellet, denotasse manifestum est. Verum enimvero Bion seriorum temporum poeta fuit, cuius dicendi modus nihil ad Homerum attinet. Mittamus igitur et Herodotum et Bionem *).

Quum igitur demonstrasse mihi videar, vocem μηρία et illam in sacrificiorum

*) et ceteros, qui eiusdem generis aliquot sunt.

descriptione obviam *μηρούς* sola femorum ossa significare, videndum est, num *ἐκτάμνειν* illud rei conveniat. Cuius verbi duplex est in Homeri carminibus potestas: altera est praecidere, praescindere, altera excidere, exscindere. Prior vis et significatio subiicienda est voci Il. 3, 62.: *νήϊον ἐκτάμνῃσιν*, et ibid. 4, 485.: *Τὴν μὲν* (sc. *ἄγειρον*) *ϑ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴϑωνι σιδήρῳ Ἐξέταμε.* Cfr. Il. 13, 390. sq., 16, 483. sq., denique Od. 9, 320., quo versu de Polyphemo scriptum est: *τὸ μὲν* (sc. *ῥόπαλον*) *ἔκταμεν*, id quod alii in *ἔκσπασε* mutandum esse contenderunt. Altera autem significatione positam eam vocem invenimus Il. 11, 829., quo loco Eurypyli vulnerati verba legimus: *Μηροῦ δ' ἔκταμ' ὀϊστόν.* Cfr. ibid. 844. sq. et 809. sq. In Iliadis autem eodem libro versibus 512 — 515. legimus Idomenei verba:

. . . . . πὰρ δὲ Μαχάων
Βαινέτω· . . . .
Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων,
Ἰούς τ' ἐκτάμνειν . . . .

Eiusdem potestatis vocem illam esse puto Il. 12, 148. sqq., quibus verbis de apris, qui impetu suo arbustorum radices confringunt, sermo est:

. . . . περὶ σφίσιν ἄγνυτον ὕλην,
Πρυμνὴν ἐκτάμνοντες, ὕπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων
Γίγνεται.

Eruunt scilicet arbusta ex humo.

Has duas notiones ab Homero verbo *ἐκτάμνειν* subiectas esse, eius carmina legentibus manifestum esse puto. Ubi autem exscindendi notioni locus est, id, quod exscinditur, additum videmus: Il. 11, 829. et 844. insuper ea pars corporis, ex qua sagitta exscinditur, indicatur. Tali modo Homerus eo verbo utitur. Apud seriorum temporum scriptores aliam quoque loquendi formulam adhibitam videmus: addunt enim voci *ἐκτέμνειν* casu accusativo eam partem, ex qua aliquid exscinditur: eoque factum est, ut Passowius in lex. illud Homericum *μηρούς ἐκτάμνειν* perperam explicet dicens: „Die Hüften der Opferthiere ausschneiden, d. i. die Knochen herausschneiden“.

Venio nunc ad ultimam dissertationis meae partem. Quid censemus de miro illo usu diis offerendi hostiarum ossa? Nitzschius ad Od. 3, 456. pag. 224. ait: „Ferner wäre die Wahl des Schenkelknochens als des hauptsächlichsten Opferstücks doch gegen die Analogie des sonstigen Opfergebrauchs. Der Gott ist ursprünglich Gast der Menschen; das beste Vieh wird zum Opfer gewählt, also doch wohl auch das nahrhafteste Stück dem Gotte vorgesetzt?“ His verbis omnia Nitzschius v. cl.

miscet et turbat. Tune ex nostris moribus nostrisque institutis veterum Graecorum mores et instituta diiudices? Tune ad nostrae religionis modum veterum Graecorum res divinas diiudicare te posse censeas? Cur non item Indorum atque Sinensium? Fuerunt populis suntque iis sua instituta, suae religiones. Graecis igitur veteribus tribue, quod eorum est. Ipsi res suas optime percalluerunt. Hesiodi igitur, antiquissimi illius poetae, verba legamus Theog. 535 — 41. Quum enim diiudicandum esset Meconae, quid ab hominibus diis esset offerendum, Prometheus duas in partes hostiam divisit: in altera bovis carnem cute obtexit, in altera ossa pinguedine. Quo facto Iovem evocat, ut eligeret, utrum sibi vellet. Qui falsa specie deceptum se simulans ossa elegit. Poeta vers. 553. sqq. hoc modo rem narrat:

Χερσὶ δ' ὅγ' ἀμφοτέρῃσιν ἀνείλετο λευκὸν ἄλειφαρ.
Χώσατο δὲ φρένας, ἀμφὶ χόλος δέ μιν ἵκετο θυμὸν,
Ὡς ἴδεν ὀστέα λευκὰ βοὸς δολίῃ ἐπὶ τέχνῃ.

Addidit deinceps poeta:

Ἐκ τοῦ δ' ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων
Καίουσ' ὀστέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν.

Manifestum est, poetam de sacrificiorum more ita existimasse, ut ubique terrarum ab omnibus hominibus gentibusque hostiarum ossa in deorum honorem comburerentur, neque assentior interpreti illi, cuius sententiam Nitzschius ad Od. 3, 456. adiunxit, Hesiodum de sacrificio in sola illa urbe Meconae usitato loquutum esse. Ipsam contra fabulam, qua ossa diis obtigerunt, usurpavit Aeschylus, qui Prom. v. 496. sqq. ed. Schütz. Prometheum facit dicentem:

Κνίσσῃ τε κῶλα συγκαλυπτὰ καὶ μακρὰν
Ὀσφὺν πυρώσας, δυςτέκμαρτον εἰς τέχνην
Ὥδωσα θνητούς.

Quum Aeschylus ipsum illum Prometheum, quem Hesiodus sacrorum modum instituisse narrat, de eadem re loquentem inducat, quis est, qui neget, Aeschylum ad fabulam Hesiodeam respectum habuisse? *Κῶλα* tragoedi sunt illa Hesiodi *ὀστέα*, Homeri *μηρία*. Bene igitur scholiastes B. ad h. l. Aeschyli addidit: *κῶλα· τὰ τῶν μηρῶν ὀστᾶ*, et scholiastes A. *τὰ τῶν μηρῶν ὀστᾶ, συγκεκαλυμένα κνίσσῃ, ἤ, τὰ μηρία πῶς δεῖ συγκαλύπτειν κνίσσῃ, τῷ ἄνωθεν ἐπιτεθειμένῳ αὐτῶν λίπει.* Hesychius quoque voce *κῶλα* significari ossa praeter ceteras corporis partes docuit dicens: *Κῶλα. πόδες. σκέλη. ὀστᾶ. μέλη. κερκίδες.* Angustius etiam vocem illam coercet Etym. M. s. v. *Κωλῆν*, quo loco haec addita legimus: *ὄνομα κύριον· παρὰ τὸ κῶλον, ὃ σημαίνει τὸ ὀστοῦν· διὰ τὸ ἰσχυρὸν τοῦ ἀνδρός· στρατηγὸς γὰρ ἦν.* Quae quum ita sint, manifestum est, quid

sibi velit Aeschylus l. c.: quare errasse putem interpretem apud Nitzschium ad Od. 3, 456. pag. 223. dicentem: „Die Stellen im Aeschylus und Sophocles braucht man gar nicht von Knochen zu erklären". Verum evolvamus etiam Sophoclis fabulas. Legimus Antig. 1006. sqq. ed. Brunck.:

. . . . . ἐκ δὲ θυμάτων
Ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν, ἀλλ' ἐπὶ σποδῷ
Μυδῶσα κηκὶς μηρίων ἐτήκετο,
Κάτυφε, κἀνέπτυε· καὶ μετάρσιοι
Χολαὶ διεσπείροντο, καὶ καταῤῥυεῖς
Μηροὶ καλυπτῆς ἐξέκειντο πιμελῆς.

Non te fugiat, easdem hostiae partes, quae v. 1008. *μηρία* vocantur, v. 1011. *μηροὺς* esse appellatas. Homericum igitur his in vocibus *μηρία* et *μηροὺς* animadvertimus dicendi genus, ut easdem, quas supra demonstravi, corporis partes significent. Sophocles praeterea ossa ait extra adipem, quo involuta erant, iacuisse: Homerus autem, femorum ossa *κνίσσῃ* i. e. omento contecta esse narrat. Universum igitur ritum, qui ab Homero indicatur, Sophocles retinuit.

Maximi momenti argumenta praeterea ex poetarum comicorum verbis peti posse, rem sic se habuisse, ut dixi, haud facile erit, qui neget. Sane legimus suavis interpretis doctam sententiam apud Nitzschium l. c.: „.... die Stellen der Komiker sind scherzhafte Dichtung oder Uebertreibungen, zum Theil ausgesponnen aus dem Opfer der weissen Knochen im Hesiodos". Verumtamen, qui id genus carminum eiusque naturam ac rationem haud plane ignoraverit quique non egerit pingui, ut in proverbio est, Minerva, ex horum poetarum verbis de rebus antiquis rectissime coniecturam fieri sibi persuaserit. Quum enim mores hominum et instituta castigent, quid verum fuerit, ex illis effici cogique potest. Evolvamus igitur arguti illius Aristophanis Plutum, quo loco Mercurium deum inducit flentem et lamentantem, est v. 1128. sqq., hisce verbis:

Οἴμοι δὲ κωλῆς, ἣς ἐγὼ κατήσθιον,
Σπλάγχνων τε θερμῶν, ὧν ἐγὼ κατήσθιον.

Si assam carnem comedisset, non fuisset, quod quereretur: ossa concoquere difficilis res erat vel Mercurio. Cui ferculo addita erant *σπλάγχνα*, viscera, exta, quae sunt cor, pulmones, iecur, nostro sermone Ingetum, — quo vocabulo macellarius quidam Norimbergae me praesente utebatur. Cuius rei memoria haud sine gaudio mihi revocata est legenti postea apud Graffium, cuius lexicon inscriptum est „Althochdeutscher Sprachschatz", sub voce INTUOMA eundem ipsum huius vocis usum

notatum. Nostra aetate pauperiorum tantum hominum cibus sunt viscera, neque aliter rem sese habuisse apud veteres affirmaverim. At Hesiodus et Homerus vel exta diis oblata esse negant, sacerque ea erant cibus, quo, qui diis hostias offerebant, vescebantur. Ut est in fabula Hesiodea, Prometheus ossa sola diis offerenda curavit, fraudans eos, qui hominum esset amantissimus, omnibus victimarum partibus, quae mortalibus esse possent usui. In deorum honorem et cibum praeter femorum ossa ceterarum corporis partium sola comburebantur segmenta, quae totarum partium loco erant: *ἄρχεσθαι*, *ἀπάρχεσθαι* et *ὠμωθετεῖν* nota sunt verba. Qua de re quum mihi hoc loco uberius non sit dicendum, unum tantum illud ex Od. 14, 427. sq. huc afferre liceat:

. . . . . *ὁ δ' ὠμωθετεῖτο συβώτης,*
Πάντοθεν ἀρχόμενος μελέων, ἐς πίονα δημόν.

Doleo, mihi Vossii litteras mythologicas, quae inscribuntur, non esse praesto, in quibus virum doctissimum de hac re uberius disputasse notum est. Quare ex iis libris, qui sunt in manibus, duo tantum locos profero, qui argumento sint, diis ossa tantum esse oblata. Alter est Pherecratis apud Clem. Alex. Strom. IV., ita restitutus:

Ὅτε τοῖσι θεοῖς θύετε, πρῶτι-
στ' ἀποκρίνετ' ἐν αἰσχύνῃ τὸ νομί-
ζόμενόν γ' ὑμῶν τὸ κατειπεῖν.
Ἦ οὐ τὼ μηρὼ περιλάψαντες
Μέχρι βουβώνων,
Καί τὴν ὀσφὺν κομιδῇ ψιλὴν,
Σπόνδυλον αὐτὸν, ῥινήσαντες,
Νέμεθ', ὥσπερ καὶ τοῖς κυσὶν, ἡμῖν,
Εἶτ', ἀλλήλους αἰσχυνόμενοί γ',
Εἰλήμασι κρύπτετε πολλοῖς;

alter incerti scriptoris apud eundem hicce:

Τίς ὧδε μῶρος καὶ λίαν ἀνειμένως
Εὔπιστος ἀνδρῶν, ὅστις ἐλπίζει θεοὺς
Ὀστῶν ἀσάρκων, καὶ χολῆς πυρουμένης,
Ἃ καὶ κυσὶν πεινῶσιν οὐχὶ βρώσιμα,
Χαίρειν μὲν ἀπάτῃ καὶ γέρας λαχεῖν τόδε,
Χάριν δὲ τούτων τοῖσι δρῶσιν ἐκτίνειν;



Schul-Nachrichten.

I. Lehrverfassung.

OBER-PRIMA. (Ordinarius: *der Director.*)

A. WISSENSCHAFTEN. 1. Religion. Moral, meist nach Hirscher, mit einschlägigen Partien der Kirchengeschichte. 2 Stunden wöchentlich. Oberlehrer Dr. th. *Teipel.*

2. Philosophische Propädeutik. Logik und Fortsetzung der Erklärung des Platonischen Phädon. Cap. 14 — 35. 2 St. Oberlehrer *Hüppe.*

3. Mathematik. *a)* Wiederholung mehrer Theile der Elementar-Mathematik; mehrfache Uebungen. Correctur der häuslichen schriftlichen Arbeiten. 2 St. *b)* Mit Unter-Prima zusammen: die Progressionen; die Stereometrie. 2 St. Professor *Rump.*

4. Naturlehre. Licht; Electricität; Magnetismus. Nach E. G. Fischer's Lehrbuch. 2 St. *Rump.*

5. Geschichte. Von Erschaffung der Welt bis zum Untergange des weströmischen Reiches, nach Pütz. 3 St. *Teipel.*

6. Geographie. Wiederholung der politischen Geographie. Alle 14 Tage beiläufig ½ Stunde im Geschichtsunterrichte. *Teipel.*

B. SPRACHEN. 1. Deutsch. Geschichte der deutschen National-Literatur nach Hüppe's Handbuch. — Erklärung schwierigerer Oden von Klopstock und der Iphigenie auf Tauris von Göthe. — Leitung der freien Vorträge und Correctur der Aufsätze. 2 St. *Der Director.*

2. Latein. *a)* Taciti Agricola; Ciceronis Disput. Tuscul. lib. I u. II, 1 — 7; Extemporalien; Correctur der häuslichen schriftlichen Uebersetzungen aus Grysar's Handbuch lateinischer Stilübungen und der freien Aufsätze. 6 St. *b)* Mit Unter-Prima: Horatii Epist. lib. I, 5 — 20., Carm. lyr. lib. I (nach Nadermanns Ausgabe). 2 St. *Der Director.*